

unus, & venit in plateam, dicens populo: Nicolaus Manini retentus est, per Dominum carcera-
tus. Hoc audito, totus populus ascendens Ca-
strum, petierunt Nicolaum Maninum eorum vi-
cinum sibi dari; pro quo securitatem facere in-
tendentes, si quid fecerat, quod ipsum cum ter-
minis ducere deberet; quia non erat usus Domi-
norum præteritorum sic cives capere, & quod
nolebant hoc eis innovari. Visoque furore Ci-
vium, Dominus ipsum Nicolaum eis dedit; & su-
bito de Terra recessit cum quatuor sociis furibun-
de, & cum iniquis verbis contra Cives, & ivit
tunc in Suffumbergo.

Posthæc ira major crevit inter ipsum, & Cives.
Adhuc sui Rectores regebant, & D. Federicus re-
quisitus per populares venit in Utino: qui assum-
ptus est per omnes Cives, ac si Deus venisset;
salvo quia aliqui tenentes partem Domini erant
in Terra, & omnia ut apparuerunt describere lon-
gum esset. Sed adveniente Carnisprivio, in domo
D. Federici erat magnum solatium, corizantes:
& juvenes Utini ordinaverunt hastiludium in Ter-
ra Utini. Et in ipsa Terra venerunt Seneh, Do-
mini Patriarchæ Bohemus Miles, consanguineus
Dominæ Elisabethæ, Franciscus & Andreas fratres
filii Nascingueræ de Civitate, Hendricus Bleon
q. f. Petri de Faganea tunc Mareschalcus Domini
Patriarchæ, ob hoc dicebatur factus, & quidam
Marcus de Faganea cum eorum famulis; ostenden-
tes, se causa festi & hastiludii venisse. Intrave-
unt ad choream in domo ipsius D. Federici: quos
surgens a scamno lætanter suscepit; & in eorum
recessu eos secum in cœnis voluit stetisse, & eis
honorem intulit, rogans ut in crastino cum eo sint
in prandio. Ipsi obtenta licentia recesserunt.

De mane vero die Lunæ XV. Februarii (a) ipse
D. Federicus intravit suam Capellam, & Missam
audivit: & cum eo erant solum de ejus familia
tres; & obtinebat familiam bonorum fociorum in
aspectu, qui multum fuerunt tristes, & nondum
a læto surrexerunt. Et dicta die prædicti Seneh
Miles Bohemus, Franciscus & Andreas fratres,
cum uno altero, per suum nuncium sentientes ip-
sum fore quasi solum in Ecclesia; ac cum Hen-
drico, & Marco, & aliis familiaribus num. XIV.
& non pluribus, ipsis ad ejus Capellam venienti-
bus, unus custos portæ ipsius D. Federici, nomi-
ne Paulus, illico videns istos sic venire, festinan-
ter ivit ad Dominum suum, & clausit ostium Ca-
pellæ dicens: Domine, velociter veniunt versus
vos familiares Domini Patriarchæ: dubito, quod
non veniant in nocumento vestræ personæ. Cui
D. Federicus respondens dixit: aperi ostium; non
dubito familiam Domini mei; & confestim aperuit
ostium. Aperto ostio, isti applicuerunt coram o-
stio: & D. Federicus erigens se, dicto Evangelio
S. Joannis, ad aquam sanctam, quæ est in medio
Ecclesiæ, se signavit. Istis intransantibus, videlicet
Francisco & Andrea fratribus, . . . & duobus
aliis, Miles non descendit, nec illi de Faganea.
Ipsi ante Ecclesiam cum ballistis extensis, & gla-
diis evaginatibus stantes. Et cum D. Federicus eos
vidit, non dubitans eos ipsum lædere velle; imo
obviam eis fuit, elevans capucium, eos humiliter
suscepit. Ipsi autem evaginatibus gladiis, ipsum in-
ter Templum & Altare crudeliter interfecerunt, &
proditorie eum ibi mortuum permiserunt.

Quidam nomine Desertus de Glemona fugam,
post altare se abscondens, rapuit. Quidam nomi-
ne Milun, audito clamore, Ecclesiam cum solo
ense velociter intrans contra istos, & istos contra
eum; ejus ensis fractus ad merlas, illico se & ip-
sum percusserunt: qui quasi mortuus ad terram
cadens, ibi remansit; & nisi ejus ensis fractus fo-
ret, aliquem vel aliquos interemisset; sed tamen
liberatus est a vulneribus sibi factis. Quo audito
clamore, vix ad equum ascendere potuerunt; &
ob hoc istum percussum dimittentes ibi, ipsum non
interfecerunt. Et subito Miles equitavit ad do-
mum Dominæ Elisabethæ, secum duci faciens u-
num Palafrenum, volens eam secum ducere extra
Terram. Et non inventa Domina domum, quia
erat & iverat ad Ecclesiam, subito sequens ma-
cellatores, portas Civitatis Utini exiverunt. Et
clamor maximus in populo insonuit, & factus
est valde; volentes aliqui portas claudere, sed
exiverunt.

Tunc populus fuit congregatus, & ceperunt
Christophorum Misulini, & Platulium, ac ipsam
D. Elisabetham. Ipsam, & ipsos in furore popu-
li, & super ipsa platea Utini in instanti crudeli-
ter sunt jugulati ob mortem ipsius D. Federici.
Post hæc vero quidam Notarius, nomine Hiero-
nymus, de nece ipsius D. Federici conscius & cul-
patus in alto suspensus est per Rectores Utini. Et
tunc Rectores ipsius Domini Patriarchæ expulsi,
& exclusi ab omni eorum regimine. Consiliarios,
& Rectores inter se fecerunt. Post hæc f. Nicolaus
Magistri Gregorii, qui cognominatus erat f. Ni-
colaus a Dominabus, advocatus, homo iniquus,
qui ex nihilo factus erat ditissimus cum Dominis
de Savorgnano, & in diem hodiernum bene ama-
tus fuit & tractatus per ipsum D. Federicum; te-
nens partem Domini Patriarchæ prædicti, lætus-
que de nece D. Federici, per quemdam Domini-
cum Gialinum pelliparium prope S. Lazarum Uti-
ni interfestus est. Post hæc Martinus Thomasi-
ni, partem ipsius Domini tenens, & lætus de morte
ipsius D. Federici, uno die de mane in Terra
Utini per Joannem de Andreottis, fratrem dicti
olim Dethalmi decapitati, & per Petrum de Trie-
sto, & per Pititum de Meduno familiarem dicti
olim D. Federici Militis interfestus est.

Hucusque Joannes Notarius quondam Aylini de
Maniaco. Descript. per me Antonium Bellonum
Notarium.

X I I .

Fragmenta Historica ex Necrologio MS. citato
num. IX. & X. 1143(C)

M. CCCC. Tale tempus nostris temporibus
advenit, quale forsitan nunquam ante
nos fuit. Ecce Dei Ecclesia divisa cum Petri na-
vicula fluctuante. Similiter & Imperium Tacera-
tum. Amœnum quoque Apuliæ Regnum multis
guerris hucusque quassatum, sub duorum scepro
regali titubet. Savuntque in Christianitate undi-
que frementia bella. Propter quæ omnia infideles
audacem animam capientes, nos invadunt, crude-
liter devastando, & captivas innumerabiles animas
ad eorum regiones ducendo. Qui ergo finem vide-
rit hujus rei, ulterius scribat amore Dei.

Anno Domini M. CCCC. III. Indictione XI.
die VI. Septembris fuit tam magnus terræmotus in
Diœcesi Aquilegenſi, quod multæ domus ruerent
per Forumjulium.

Mille quadringentis triginta & quatuor annis
Exussit vites quasi cunctas seva pruina.

b. Vicena & sexta tunc lux transibat Aprilis,
a. Montibus ex altis nix clare nulla patebat.

Joannes de Nimis Notarius.

P

M. CCCC.

(a) Anno 1389. ut patet ex littera Dominicali C.

Manuscripta f. 42. non videtur
Manuscripta

in
Lek. in desolatione
1. Na

ant tremebunda. Braviterque

(Lek.

non videtur